



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examinis Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Examen VII. Super incidentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

plex, nempē manē, deinde post meridiem optandum verō esset, præmitti illud cuilibet actioni majusculæ, ita ut ante opus sit Examen, quomodo sit faciendum? post opus succedat Examen; quomodo sit opus factum?

EXAMEN VII. Super incidentia Coincident cum præcedenti, tantum in hoc differt, quod illud prævideat agenda ordinaria, & nota, istud prævideat agenda sed ignota, & respectu hominis casualia, insperata, aut saltem non sperata, unde & Incidentium examen dicitur; quia videlicet præter advertentiam accidunt, possunt tamen prævideri, vel sub hâc ipsâ ratione, quia prævideri non possunt, & potest sese animus contra talia armare, potest ex præteritis incidentiis opinari etiam hodie eventura, vel eadem, vel aliqua alia. Talia sunt, prævidere aliquod negotium, quod etsi nescitur eventurumne sit, scitur tamen evenire posse, quandoque solere. Item prævidere interventum ad se alicujus, eventuram sibi aliquam molestiam, aliquam difficultatem, ab intra, ab extra, ab hac illâve Personâ, occasione, circumstantiâ, &c. Taliū incidentium possibilium prævisio atque præmeditatio utilissima est: ad multa enim prodest, & inter alia ad præparationem mentis, ad pacis internæ conservationem, ad victoriam tentationum, ad vitandas tentationes præoccupantes usum Rationis, subitaneosque motus, &c. Unde inter magnas Dei gratias, hoc est reponendum, si cui hâc agendorum, incidentiumque Prævisio conceditur: talis enim semper in portu, semper in tranquillo navigat, vix unquam fluctuat, vix unquam tempe-

stati-

statibus agitatur, suus semper est, & Dei. Proinde debet spiritualis profectus candidatis & sectatoribus hoc genus Examinis exercitiique esse commendatissimum.

E X A M E N VIII. Repugnantiae atque Luctae; quod ita voco, quia illius est, examinare repugnantias quotidianas, quas sentire sollemus in nobis, in variis quotidianis occasionibus, cum volenda nolumus, nolenda volumus, aut ratione, conscientia, obedientia, charitateque dictante, sensus tamen noster, vel perversa voluntas, vel consuetudo passione rebellis oblitatur, quam oblationem expedit vincere, atque super hanc victoriam examinis etiam Industriam uti.

1. Ut de more agantur gratia. 2. Lumen petatur. 3. Percurrantur actiones acti temporis. Ut videatur in unaquaque, num quæque resistentia fuerit & oblatione in nobis indebita? num ei cesserimus? an succumbuerimus? ut sit sub praetextu compensationis alio tempore, aut respectu aliquo, aut affectu, aut fragilitate, aut indulgentia, aut excusatione absentis obligacionis, nulliusque peccati aut malitiae, &c.

Num verò restiterimus, quam strenue, quo motivo, quam in puncto, an cum mora, consultatione, dialogismo, atque propensionibus? Num causam dederimus isti oblationi? Num ea diuturna, num frequens, num antiqua, in nobis sit? inveteraveritne per nostram desidiam?

Ad hoc proderit habere descriptum, param indiculum harum repugnantiarum nobis familiarium, quem in praesenti expediet decurtere, habet enim (ut docet experientia) unusquis-